

## MARS RÖMULUM IN CAELUM VOCAT

### XV

IN angulō Tiberis Campus Martius iacēbat. In Campō Martiō iuvenēs Rōmānī corpora diligenter exercēbant. Ita firma et valida habēbant corpora. Post lūdōs in flāvīs Tiberis undīs natābant. Ita Tiberis corpora fessa recreābat.

Hīc forte Rōmulus cīvibus suīs iūra dăbat ; bonōs cīvēs laudābat ; malōs cīvēs culpābat. Subito fulminis fragor populum perterruit ; magnī dē caelō imbrēs virōs fēmināsque fugāvērunt. Rōmulus sōlum serēnus impavidusque manēbat ; Martem patrem in caelō vidēbat. Tum Mars filium verbīs benignīs vocāvit : “ Satis,” inquit, “ in terrīs regnāvisti ; nunc in caelō et in stellīs cum patre tuō cēterīsque dīs regnābis. Filium meum ad caelum portābo.” Tum equōs mīrōs incitāvit. Rōmulus cum patre ad stellās properāvit.

## XVI

Caelum iterum serēnum erat. Iam Rōmānī in Campō Martiō iterum ambulābant, sed rēgem nusquam vidēbant. Mox autem Iūlius, iuvenis Rōmānus, per viam Rōmānam iter ad urbem tenēbat. Subitō ā sinistrā, magnum et serēnum, Rōmulum prope viam vidēbat. Vehementer timuit—capillī in capite horruērunt. Sed Rōmulus verbīs benignīs, “O Iūlī,” inquit, “nulla est causa timōris. Nunc Quirītēs nūmen meum adōrābunt et Rōmulum Quirīnum vocābunt. Templa et ārās aedificābunt, et ad ārās dōna apportābunt. Semper artem bellī et arma cūrābunt, et corpora in armīs diligenter exercēbunt. Ita Quirīnus Popu-  
lum Rōmānum servābit.” Itaque Iūlius Rōmulī dicta populō narrāvit, et Quirītes templum rotundum aedificāvērunt. In templō rotundō Quirīnī nūmen adōrābant.